Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1367
Quelle:
Copyright:

ne redarguit dicens. In principio erat uerbum &c. Interrogationes ultimae ſunt, quid per ſublimitatem, latitudinem, longitudinem et profunditatem crucis ſignificetur, quibus ſubſcriptum: *Explicit Liber Sancti Johannis Evangeliſte.*

V. *fol.* 138. *De Evangelio Sancti Mathei.* Tractatio ſuperiori gemina, niſi, quod nulla habeat *προλεγομενα*, et ſtatim Textum ipſum ſic aggrediatur: *Quare Beatus Matheus nullam ſanctarum feminarum in genealogia Domini poſuit, niſi eas quas ſacra reprehendit ſcriptura. uidelicet thamar. raab. ruth. atque betſabee? Thamar namque reprehendit de ſocerino concubitu. Raab uero quia hierechontina meretrix fuit. Ruth moabites. adultera betſabee.* ℟. *Sanctus euangeliſta matheus ideo has mulieres in genealogia domini deſcripſit. ut per hoc demonſtraret quia dominus propter peccatores de celis ad terras deſcendit* &c. Brevior multo eſt haec *Matthaei* Defloratio praecedente, fortaſſe tamen non integra in *Codice*; deſinit enim in hanc Interr. *Quid interpretatur barrabas?* Autorem in PP. lectione perquam verſatum fuiſſe liquet, quamvis rariſſime quenquam illorum nominatim excitet.

CCCLI.

859 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 99. 12. bene ſcriptus et rubricis enotatus, olimque *canonicorum regularium prope muros ciuitatis nuſſienſis* titulum praefert: *Incipit prologus Elucidarij.* Aliud Exemplum dedimus *Cod.* praeced. ubi prolixus hic de omnibus Fidei Capitibus Dialogus *Honorio*, certe *Auguſtodunenſi*, tribuitur. Initium Prologi, ut ibi: *Sepius rogatus a condiſcipulis* (diſcipulis?) *quasdam queſtiunculas enodare* &c. Initium ipſius colloquii: *Glorioſe magiſter rogo ut ad inquiſita michi ne pigriteris reſpondere* &c. Per decurſum literis miniatis Autores quidam notantur, e quibus reſponſa promſit Elucidator; ita *Ambroſius de animalibus*, *Jeronimus de coniugibus*, *Origenes de gradibus*, *Eucharius de morte chriſti*, *Iſidorus de Vit. Immod. Beda de infirmis* et *de antichriſto.*

Fol. 68. *Incipit liber III. de futura uita*, quamvis antecedenter nec I. nec II. indicetur. Extrema ſunt: *et uideas bona hieruſalem omnibus diebus uitę tuę. M.* (Magiſter) *Amen amen amen.* Cetera *Cod.* ſupra *cit.* expedita ſunt.

CCCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. 172
XVI. Folior. 107. f. eleganter exaratus ſine Autoris nomine hunc titulum praefert: *Confeſſio Fidei et doctrinæ ſanctę Catholicæ et Apoſtolicæ Eccleſiæ Dei, circa præcipuos ſaltem articulos, quos Chriſti fideli populo pie et ſimpliciter proponi eidemque credere et ſcire expediat ac plane ſufficiat. Pro indocto Clero et ſimplici*